Proteſtantibus non licet cum Papiſtis matrimonium contrahere.

PRonubus ipſe Deus thalamos ſibi iure iugales
Vendicat, & caſtis præſidet ille toris.
Præcipit unanimi ſub religione propinquos
Ille maritali conſociare fide.
Si dotem quæras, dos eſt vxoria virtus:
Hæc cum dote ſimul dat ſua iura Deus.
Heu gremio quoties vxore fovente maritum,
Numinis eſt ſenſim pectore lapſus amor.
Quos bene coniunxit ſtudijs communibus ætas
Hos adamas, alios mollis arena tenet.
Inſervit corpus menti, quis corpora iungi
Poſtulet, à quorum mentibus exul amor?
Dum vacat hic epulis, ieiunia ſuſcipit illa:
Militat hic ſylvis, dum litat illa ſacris.
Iurgia ſi memorem tales comitantia tædas,
Deficeret citius quàm mihi ſermo, dies.
Haud impune Deus teſtis cum fraude vocatus
Iurantis ſumi nomen in ore feret.
Lucis filiolus noctis faſtidit alumnam:
Horrent idolum templa dicata Deo.
Cui noſtrum eſt odio fanum faniq; miniſter,
Nec menti ſacrum connubiale placet;
Illius horreſco referens vetitos hymenæos:
Rem fugiat, ſi cui diſplicet ordo rei.
Non bene inæquales ſubeunt iuga dura iuvenci:
Caſta tuæ comiti nube cohortis avis.
Quadret ad examen pietaſq; ætaſq; genuſq;:
Pulchra tui ſociam quære coloris avis.

Hic igitur coniux papalis, & illa fidelis,
Corpora legitimis non poſuere toris.

Bonus vſus liberi arbitrij poſt gratiam non eſt cauſa conſequendæ ſalutis.

PRæſcia venturi divina potentia fati,
Quaſq; ſuas ſtatuit res retinere vices.
Cumq; ſit humanæ gentis ſarcire ruinas
Provida, præcipuum quam ſibi finxit opus;
Huius in excelſa digeſſit mente ſalutis
Cauſas, quas extra nil niſi mortis iter.
Neve quis ereptum Domino ſibi ſumat honorem;
Sola Dei eſt noſtræ cauſa ſalutis amor.
Neſcio quas alias inſana ſcientia cudit,
Fingendis cauſis ingenioſa novis.
Scilicet arbitrij bonus & laudabilis vſus,
Imperium vitæ ſe penes eſſe crepat.
Dignior ille ſequi potius, quàm ducere funem;
Auratum funem, nectitur vnde ſalus.
Tantane vos carnis tenuit fiducia veſtræ,
Quam nativa, ream, quam ſua culpa facit:
Vt cælum affectet terræ damnata domanda,
Natura, ingenio, viribus vſa ſuis?
Debet at in nihilum redigi prudentia carnis,
Debet inaniri, fiat vt aucta χάρις.
Non bene concordes in eadem ſede quieſcunt,
Gratia gratificans, arbitriumq; procax.
Quò pia ſi ſpectes meritum miſeratio tendit?
Exit in æolios irrita facta notos.
Non mala ferre malis patitur clementia Patris
Vtq; bonis bene ſit vult deus ille bonus.
Illi debentur nos noſtraq;; fortibus apta
Nos tantùm flammis arida ligna ſumus.

ERGO

Collocat arbitrii qui libertate ſalutem,
Naufragus in mediis ſpem ſibi ponit aquis.